ARTHRITIDIS SYNOPSIS

QUAM

IN ALMA MEDICORUM MONSPELIENSIUM ACADEMIA,

publicis disputationibus subjiciebat

AUCTOR

PETRUS-MICHAEL HULIN, è Ricoloco, in partitione dictâ *Indre et Loire*, Liberalium Artium Magister, necnon Facultatis saluberrimæ Parisiensis olim Alumnus.

PRO SUPREMA APOLLINARI LAUREA CONSEQUENDA.

Da veniam scriptis, quorum non gloria nobis
Causa, sed utilitas officiumque fuit.
OVID.

MONSPELII,

Ex Typis BONNARIQ, F. AVIGNON & MIGUEYRON, viâ dictâ Arc-Darêne, n.° 56.

AN. XII.

PATRI. SUO.

PIETATIS.

IN. MONUMENTUM.

Reverentissimus

P. M. HULIN.

ARGUMENTABUNTUR

D. D. PROFESSORES.

G. J. RENÉ, Rector . . . . *Medicinæ legalis et Medicæ historiæ.*

A. P. M. BROUSSONET, plantarum horti Rector . . . *Botanicæ.*

C. L. DUMAS . . . . *Anatomes, Phigiologiæ et Clinices ad morbos insanabiles dictos.*

G. J. VIRENQUE . . . . *Chimiæ et Pharmaceutices.*

P. LAFABRIE, J. L. V. BROUSSONET. . *Internæ Clinices.*

J. POUTINGON, A. MEJAN. . . . . *Externæ Clinices.*

J. B. T. BAUMES . . . . *Nosologiæ et Pathologiæ.*

J. N. BERTHE . . . . *Therapeutices et Materiæ Medicæ.*

J. M. J. VIGAROUS . . . . *Institutionum Medicæ et Hygienes.*

A. L. MONTABRÉ. . . . . *Chirurgiæ, vel Medicinæ operatricis.*

J. SENEAUX. . . . . *Artis Obstetriciæ.*

HONORARII.

P. J. BARTHEZ, ex-Cancellarius, tunc Archiater.

A. GOUAN, Botanices ex-Professor.

H. FOUQUET, Internæ Clinices ex-Professsor.

J. A. CHAPTAL, Galliarum Minister, et Chimiæ ex-Professor.

ARTHRITIDIS SYNOPSIS.

Arthritis apud *Sauvages* 193.um genus sistens, ordini primo (dolores vagi) septimæ classis (dolores) addicitur. *Cullenii* primæ classi (pyrexiæ) ascripta, 23um tertium genus (podagra) occupat. *Pinel* hanc olim classi quartæ (gallicè *névroses*) addictam, novissimè quarto ordini secundæ classis (gall. *phlegmasies*) defixit. Professoris tandem *Baumes* in systematis methodici quartâ classe (gall. *phosphorénèses*) sedem obtinens, 87um genus constituit.

Arthritis persæpè morbus hæreditarius, et absque ullâ causâ evidenti apparens, ex dolore nunciatur quem in parvis articulis potissimùm percipiunt ægrotantes, extremorum præsertìm inferiorum, ac præcipuè pollice pedum; stipatur ordinariè symptomatibus pyrexiæ non tamen essentialis, et statis temporibus, insultus redeunt. Quapropter huncce morbum *doloris articulorum periodici* nomine designavit Ill. *Sauvages.*

Variè nuncupatur, prout corporis speciales partes afficiuntur; si ergò manus chiragræ, si genua gonagræ, si pedes obsidentur, podagræ nomen recepit, etc.

Permultas etiam arthritidis divisiones finxerunt auctores, fixæ scilicet ac mobilis, primariæ symptomaticæque, recentis et inveteratæ, hæreditariæ et adventitiæ, regularis demùm et anomalæ.

Sub regularis nomine venit ea, quæ acutè vel chronicè

incedens, solum articularem apparatum lacessit; anomala verò quæ, articulis aut minimè, aut leviter correptis, seu derepentè liberatis, sub aliorum morborum schemate larvatur.

Ultimam distinctionem admittam, tanquàm observatione magis comprobatam, et regularis acuta sola mihi delineanda erit, signa morbi, causas, prognosim, therapeiam summatìm conspecturo; quibus pauca per transennam accedent de anomalâ.

Postquàm mœror, anxietas, agrypnia, levis horror, aliqualis febricitatio, anorexia, etc. præcesserint, derepentè versus secundam aut tertiam horam matutinam, exoritur dolor pollicem pedis ut plurimùm occupans, quandòque verò suram aut talum, comitante sensu, ex observatis *Sydenhamii*, quasi aquæ tantùm non frigidæ partis affectæ membranis affusæ.

Mox dolor ingravescit, nunc adustionem, nunc pressuram et dilacerationem exprimens, adeòque exquisitam sensilitatem acquirit pars affecta, ut nec linteorum pondus, nec in cubiculo deambulationem ferre queat.

Ab insultûs initio, per nycthemerum in hoc statu dolorifico perstat ægrotans; deindè sensìm patitur minùs; afflictus artus levi madore pertegitur; invadit tandem sat placidus somnus, à quo evigilans æger intumescentiam et ruborem in parte vexatâ cernit.

Sic prima desinit accessio insultûs arthritici, quo perdurante, singulo die vespertino, intenditur simul dolor cum motu febrili sub cantu galli decadente.

Horumce paroxismulorum congerie constat regularis arthritidis insultus, cujus major minorve duratio fuerit, pro viri-

bus, ætate, prædispositione arthritici, et aliis; non dies ultra quatuordecim protrahitur, apud juvenes, et athletico temperamento præditos; plures verò per menses peragitur, in debilibus et ætate provectis.

Tunc æger pristinâ valetudine fruitur, imò majori alacritate quàm antè morbum, pronus fit ad corporis et animæ functiones obeundas.

Si recenter sæviat podagra, semel tantùm, spatio trium vel quatuor annorum, renovatur; aliquo autem tempore elapso, breviora fiunt intervalla, et annuatìm insultus redeunt; dein singulo anno, bis terque impetum faciunt, et vim suam exercent, tenaciores necnon vitiosiores facti. Veterascente tandem malo, continuè pergunt dolores, aut non priùs valedicentes quàm adoleverit æstas.

Ab initio, pes unus tenebatur, ambo mox unà vel invicèm occupantur; sensìm in manus, carpos, cubitos, etc. irruit.

Desinentibus primis insultibus, articuli quidem in quos sæviit arthritis flexibilitatem ac mobilitatem suam recuperant; frequentiùs verò actis, augentur successivè partium articulis junctarum debilitas ac rigiditas; undè membrorum motûs jactura, circa articulorum ligamenta tophorum generatio, calculus renum, cujus diri cruciatus nonnunquàm ægri animum in suspenso relinquunt, calculus-ne an podagra immitior sit.

Causas arthritidis inter universales ac remotas annumerantur compages corporis luxurians, victus lautus, opimus, et ex animali regno depromptus, ut pluries observavit Illust. *Grant*, studii nimius labor, aut irremissæ animi intentiones, potûs

spirituosi et fermentati abusus ; ideò notavit *Van-Swietenius* podagrâ vexari *Batavos*, ex quo cerevisiæ in locum vino utebantur. Affirmat cel. *Coste* permultis arthriticis regiones vineis consitas scatere.

Huic affectioni præbet ansam veneris intemperantia, ut in gente *Turcarum* exempla crebriora videre est ; non sanè meri potatio potest incusari, dùm religione damnatur ; sensibus verò, gratiori legi fideliter obtemperantes libidini sese tradunt, et repetito congressu viribus fatiscunt.

Ex observatione *Gaubianâ* constat morbum articularem etiam ab acidorum usu pendere posse, et asserit *Liger in tractatu de podagrâ*, majoris arthriticorum numeri rationem in *Cenomaniâ* et *Normanniâ*, eruendam esse ab assueto potu liquoris ex malis et piris expressi.

Solitarum sanguinis evacuationum, hæmorrhoïdalium præsertìm, exhalationis cutaneæ suppressioni ortum debere podagram multiplici comprobatur experientiâ ; sic tormentis sanissimos vexari vidit *Boerhaavius*, si pedes frigidæ vel humidæ aëris tempestati diutiùs exponerent.

Ad affectionis istius causas antecedentes referenda est repentina desertio solitæ exercitationis, substitutâ præcipuè vitâ molli ac sedentariâ.

A gastricis morbis imperitè curatis, aut diù moram trahentibus, viscera debilitatem contrahunt, ventriculi et intestinorum labefactantur vires, languent digestiones, succi crudi et acres generantur, qui mox ad articulos defluentes, arthriticis doloribus natales dant.

Nil autem forsitan huic morbo commovendo promptiùs

inservire potest, quàm animi pathemata; ab irâ et terrore valido derepentè enatum vidit *Stahlius* insultum arthriticum.

Indagatis causis podagræ remotis, deveniamus nunc ad disquirendam eam morbi originem, quæ causam ejus proximam et essentialem constituit.

Quâ ratione id fiat in inquirendâ semper insudârunt medici, et circa quæstionem hanc hærentes, innumera ex omni parte dubia invenerunt.

Hippocrates ex bilis et pituitæ mixtione morbidam hanc affectionem oriundam esse cogitavit; plures verò principium hujus in speciali synoviæ vitio unà cum articulorum debilitate reposuerunt; *Paulus Ægineta*, *Sydenhamius* ab imperfectâ coctione, *Boerhaavius* et *Barry* ab alteratione fluidi nervei productam hanc esse existimârunt; *Stahlius*, *Cullenius* à statu quodam specifico solidorum pendere voluerunt, humorum influxu denegato; muci tenacis et spissioris redundantiam *Liger*, bilem atram *Grant* et *Stollius*; acidum phosphoricum *Bertholet* incusant, uratem sodæ suspicit *Fourcroy*, qui doloris arthritici principium à vellicationibus ex topho in nervos et vasa lymphatica citatis repetit.

Illust. *Barthez* ad arthritidis essentiam, *statum arthriticum specificum* necessariò præexistentem (quamvis ignotum) requiri docet; hæc verba ejus notanda sunt:

« Pour la formation de toute maladie goutteuse, il faut
» la réunion de deux causes qui soient portées à un haut degré,
» dont l'une est la disposition de la constitution à la pro-
» duction de l'état goutteux dans les solides et les humeurs;
» l'autre est une infirmité relative des organes que doit
» occuper cette maladie goutteuse.

» L'état goutteux des solides est une affection spéciale qui
» survient à des états vicieux ou de constriction ou de relâ-
» chement dont ils peuvent être affectés, et qui donne à
» l'un et à l'autre une permanence singulière.

» Il paraît extrêmement vraisemblable que cet état goutteux
» des solides est produit par l'action de la *force de situation*
» *fixe* entre les parties du tissu des fibres.

» L'état goutteux du sang est un vice de sa mixtion qui
» intercepte plus ou moins la formation naturelle des hu-
» meurs excrémentitielles ; de telle sorte que la décomposition
» spontanée que subissent ces humeurs, y fait prédominer
» la séparation de la substance terreuse.

» La prédominance de la substance terreuse dans ces
» humeurs excrémentitielles, leur donne alors une affinité
» spéciale avec les sucs nourriciers des parties attenantes aux
» os. Cette affinité détermine généralement ces humeurs à
» se jeter sur ces parties, lorsqu'elles souffrent une infirmité
» relative. Elles y sont portées par une fluxion, dans laquelle
» on observe divers symptômes locaux, sympathiques,
» synergiques, et qui se termine par des excrétions cri-
» tiques, etc. » *Vid. præf. hujus operis eximii de morbis arthriticis.*

Lubenter equidem fatemur, quòd summi viri theoriæ primas referremus, cùm innumeræ observationum seriei innitatur, et ex eis lucem invictamque probationem eliciat.

Arthritidi mares obnoxios esse vulgò consentitur, præcipuè quorum crania grandiuscula, habitus corporis plenior, constitutio luxurians et virosa ; mulieres interdùm aggreditur, vetu-

las præprimis et viragines, aut eas quibus menstrua defecerint; quod *Hippocratis* aphorismo sequenti consentaneum videtur: *mulier non laborat podagrâ, si non menses ipsi defecerint.* Sect. 6, aph. 29; *Cullenius* tamen et alii fœminas aliquot arthriticas, quibus menstrua copiâ et tempore debitis fluerent, se observâsse affirmant; et verè notatu dignum est, si *Aretei*, *Sydenhamii*, etc., doctrinæ fides adhibeatur, mulieres eò magis arthritide vexari, quò virorum habitum et mores plùs æmulantur; ideò scripsit *Seneca* ex moribus eas arguens..... *et quia fœminam exuerunt, damnatæ sunt morbis virilibus.*

Pueros non laborare podagrâ in divo sene legere est, sect. 6, aph. 30; quæ ita quidem sub prisci ævi innocentiâ et temperantiâ obtinuerunt; hodie verò, ex parentum et avorum vitiis, ipsa progenies adhuc vitiosior putà et ulteriùs exorbitans, dictorum veritatem eludit; in cujus rei confirmationem, nobilem curavisse juvenem ab ineunte octavo ætatis anno sæpiùs podagrâ correptum, asserebat *Etmullerus*; exemplum retulit etiàm *Ballonius* de puero duodecim annorum, cui exanthemata oboriebantur; extinctis his, dolores cutanei enati sunt implacabiles ad solum manuum appulsum irritati; ab eo tempore, statis intervallis, articulorum doloribus est conflictatus. *Ball. eph. pag.* 18; recentiùs Edemburgensis medicus pueros arthriticos ab observatis deprædicavit.

Eunuchos *Hippocratis* ævo podagrâ laborâsse non constat; nunc verò talis est eorum ingluvies et desidia, etc. ut etiam absque veneris usu ab illo morbo corripi possint, uti ex observatione evincitur.

An arthritis contagii viâ transmittitur ? Huic opinioni assenserunt inter practicos *Warnerus*, *Sydenhamius*, *Hoffmannus*, recentiorique ævo *Selle*, in quorum scriptis legitur labem sanissimos contraxisse, si tantùm podagricorum calceamenta gestarent ; hanc pariter sententiam tuetur *Helmontius* de muliere observationem referens, quæ morbo afflicta fuit, insedendo sellæ quæ fratri arthritico longo usui fuerat ; talia verò pauciora sunt exempla, nec satis firmâ probatione pollent, ac præterea in adversam sententiam observationes coalescunt innumeræ.

Podagram epidemicè grassari propugnat *Stollius* ; ast *Van-Swietenius* et alii talem nunquàm deprehendi pervincunt.

Tantum inter arthritidem et rheumatismum intercedit connubium, ut vulgus medicorum qui rheumatismi nomen ignorant, eum arthritidem universalem nominare soleant ; in utroque enim affectu dolor articulorum reperitur ; sed in hoc differunt, quòd partes dolore arthritico affectæ sint periosteum, ligamenta, omnesque partes nervosæ articulis vicinæ ; rheumatico verò, media inter articulos spatia, musculi nimirùm eorumque membranæ.

In arthritide soli dolent articuli ; in rheumatismo dolor musculorum tractum sequitur.

Initio morbi, potissimùm in parvis articulis castra metatur podagra ; potiùs autem genua et reliquos majores, quam manuum pedumque articulos altera corripit affectio.

Arthritidem præcedit vulgò ventriculi functionum læsio, quod de altero dicendum non est ; nec evidenter saltem hæreditarius videtur esse rheumatismus, dùm parentum et

avorum seminio transmitti podagram nemo inficias ire potest.

Arthritis curatu perardua est, imò nequaquàm sanari potest in permultis, dùm è contrà rheumatismi radicitùs persanati crebriora non desunt observata.

Morbus tandem articularis, statis intervallis, ac periodicè revertitur; sic non de rheumatismo.

Quoad prognosim, notandum est periculo expertem esse; ac penitùs eradicari posse regularem, genuinam et recentem arthritidem, si juvenes aut vegetes adultos sobriè et castè viventes adoriretur.

Si crebriùs redeant insultus, ac pro more vehementiùs affligant, insigniter debilitantur articuli, et eorum mobilitas multùm imminuitur; interdùm, circa articulorum ligamenta tophi et nodi colliguntur, qui motum articularem præpediunt; talis incommodi de curatione malè ominandum est, præcipuè si senes, aut abnormi victûs ratione, aut vino, aut comessatione confectos adoriatur, ut testatur *Hippocrates*, 2 prorrhet: *de podagrâ hoc dico : quicumque, aut senes sunt, aut circa articulos, callos omphaceos habent, etc. hi omnes sani fieri non possunt humanâ arte, quantùm ego novi.*

Eam, quæ hæreditaria fit, haud facilè sanare est, juxta verba *Boerhaavii : hæreditaria curatu omnium difficillima ;* insanabilis verò immeritò reputanda foret, ut existimârunt non nulli auctores; etenim multiplici experientiâ constat, victûs ratione accuratâ, exertitio corporis, præsertìm bacchi et veneris temperantiâ, etc., partes affectas incolumes sensìm evasisse.

Si fortè suas periodos servare consueta non revertatur arthritis, gravissimos et sæpè mortales portendit morbos, nisi

materia morbifica diligenti prophylaxi sublata fuerit; cùm enim ob debilitatem naturæ, materies cumulata non expellatur, periculossima mala producit, ut febres acutas, viscerum inflammationes, apoplexiam, spasticas affectiones, orthopnœam, cordis palpitationem, etc. de cœtero, prout ægri sexus, ætas, idiosyncrasia, etc. postulant, variandam esse prognosim nemo nescit.

Sub duplici intuitu curationem proponemus, aliam nempè in insultu, aliam autem extra insultum.

Decurrente insultu, si febris despumatoria, fluxio, dolor non gravi aut pravâ indole peccent, id tentandum est, ut symptomatum iste apparatus certa inter et debita limina sistat, ac vitandum accuratè quidquid coctionem perturbare valeret.

Diæta sit excarnis, liquida; cremores hordei, orizæ, etc. tantùm administrentur; pars arthritica à frigore vel humiditate seponatur, tegentibus seu linteo laneo, seu, ut suadet *Barthez*, cuniculi aut cygni pellibus; et dùm perbellè munere suo natura fungitur, medico sanctum sit istud *Hipp.* monitum : *optima medicina interdùm est medicinam non facere.*

Si verò juvenes, aut adultos vegetes, firmâ et sanguineâ temperie præditos adoriens podagra, intensâ febre, delirio, lotiis rubris, calore acri, etc. ac demùm validâ partis affectæ inflammatione stipetur, indicatur tunc sanguinis missio seu generalis, sive in derivationis aut revulsionis finem, plùs minùsve celebrata, prout instant symptomata, etc.; hujus ope adminiculi, mitigantur dolor ac inflammatio, et ad eliminandam materiem arthriticam natura magis idonea fit;

plerique tamen venæ sectionem improbârunt, experientiâ scilicet edocti coctiones et crises frequentiùs sic pessundari, ac lentas in articulis exoriri congestiones ; quâ ratione fit, ut hirudinum parti dolenti applicationem prætulerint ; ultima methodus ab illust. *Paulmier*, *Barthez* pleno ore decantata, *Sereno Sammonico*, *Mathæo de Gradibus*, *Savonarolæ*, *Zacuto Lusitano* haud ignota fuerat ; in eumdem scopum, maximo cum fructu scarificationes, cucurbitulæ usurpantur.

Si dolor ita dirus est, ut patientiam omnem humanam dejiciat et vincat, *Sydenhamius* tunc nos monet pulticulam ex pane similagineo, cum croco in lacte cocto, sibimet olìm præ cæteris profuisse ; *Barthez* autem narcotica emollientibus immixta laudat, dummodò parcâ et prudenti manu adhibeantur ; aliàs etenim timenda foret tumoris arthritici retrocessio, ut observavit celeb. Noster.

Irritâ sapienti sedantium topicorum admissione, dolor persæpè eâdem ferocitate cruciat somnumque repellit ; tunc ad narcotica intùs sumpta recurrendum est, quæ cautè nec non peritè jussa somnum conciliant, materiei morbidæ coctionem, et per diaphoresim eliminationem fovent.

Intùs sumptionem nec non affusionem aquæ frigidæ parti dolenti *Prosper Martianus*, *Pechlinus*, *Musgravius*, *Rondeletius*, *Barthez* magnis laudibus extulerunt ; etenim hujus tempestivâ administratione dolor mitigatur, coercetur inflammatio, elicitur tandem sudor copiosus quem subsequitur integra morbi solutio.

Sin autem incassùm adhibeantur hæcce topica, multoties conduxerunt arthriticis tùm ustiones è moxâ celebratæ, tùm vesicantia, etc.

Alvus, de cætero, libera servetur; clysterum ope emollientium summoperè levari podagricos observârunt practici, ac de eorum adhibitione intervallis renovatâ unanimiter consenserunt.

Jure excogitârunt nonnulli auctores, sæviente paroxismo, religiosè catharsi abstinendum esse, eâ ratione innitentes, quòd naturæ in materie morbificâ separandâ, et in articulos deponendâ occupatæ negotium facessens, ægrum in vitæ discrimen conjicere possit; tutiùs verò, desinente paroxismo, usurpanda erit purgatio, cùm morbi reliquias amoliri debeat: hancce viam numquid ipsamet natura demonstrare videtur?

Versùs remissionem febris arthriticæ, crises partiales fieri, nec tantummodò metastasi pedum tumorem erysipelatodeum producente, ortâ diaphoresi, vel lotiis cum sedimento lateritio, sed et etiam humorum congerie in ventriculi et intestinorum cavis, multoties observavêre *Stollius* et *Grant*; quapropter, ne resorbeatur arthritica materies ad primas vias delata, horâ matutinâ summi viri administrari jubebant potus tamarindinatos, cum cremore tartari.

Denique sudoris provocatio maximè conferre poterit; sic enim morbidus humor per habitum corporis discutietur; at verò, cùm arthritis acuta febre comitetur, calidiora sudorifica non conveniunt, sed magis temperata.

Post finem verò paroxismi, remissioneque factâ, ut podagra non ampliùs, vel rariùs saltem invadat, aut mitiùs tractet, opera danda est; his autem indicationibus victûs ratione scilicet et pharmacorum usu obtemperabitur.

Quod vitæ regimen spectat, non istud intelligi debet de

remedio Capucini Melitensis (qualis methodus magis nocua, quàm utilis existimanda est), potiùs verò de alimentorum potationisque delectu ; carne tenerâ utatur æger vegetabilibus interpolatâ , necnon frugibus horæis et subacidis qui, ex *Linnæo* , magnâ vi pollent, pro attenuandâ materie arthriticâ ; victus semel in die tantùm , vel omni tempore , vel aliquoties saltem, sumatur. Monentur medici ratione et observatione , ut podagricis interdicant usum cibi saliti, fumo indurati etc. Vinum in arthritide maximè nocet , multique ejus abstinentiâ penitùs fuêre liberati ; si tamen æger , propter senium , aut alia valetudinis incommoda , non possit ab eo omninò se continere, bibat pauciferum et valdè dilutum.

Porrò memoriâ semper infixa teneant ii , quibus aut integra sanitas aut longiora valetudinis bonæ intervalla cordi sunt, hæc verba aurea *Listeri* : *parva cibatio summæ curæ sit ;* ac etiam ista à *Baglivio* prolata : *omne remedium calculosis et podagricis inutile propemodùm erit , nisi vinum , venus , otium et crapula temperantiùs usurpentur.*

Vel omninò venus intermittatur , vel rarissimè , nunquàm stando exerceatur. *Is qui tàm podagrâ , quàm senectâ laborat ,* ait *Sydenhamius* , *æquè improvidus , meo judicio , foret , si veneris lenociniis indulgeret , atque ille qui , cùm longum iter emetiendum susceperit , viaticum omne priùs abliguriret , quàm se viæ committeret.* Expressè magis verò alloquens celeb. *Coste :* « Il n'y a point de milieu , *inquit* , entre renoncer » au commerce des femmes et guérir de la goutte , ou bien » continuer de leur rendre ses hommages et rendre son » mal incurable. Chaque fois qu'un goutteux s'approche

„ d'une femme ; s'il est jeune, il ajoute une nouvelle racine „ à sa maladie ; s'il est vieux, il creuse un pied carré de „ sa fosse. „

Exercitationi religiosè sese tradant arthritici, statis horis, præsertìm in aëre campestri; gestatio et deambulatio spissi et in articulis concreti humoris resolutioni favent; artus indè mobilitatem suam ac flexibilitatem recuperant; et æger qui anteà noctes insomnes præ dolore peragebat, dulces nunc defatigatus somnos carpit ac placidam quietem.

Sanata fuit arthritis quibusdam, mutato cœlo, et istud non mirandum; mutationem aëris, borealis præsertìm in australem, multùm posse in morbis diuturnis, observatione constat; eâ ratione, *Galenus* mittebat phthisicos ad Tabias; quo solo remedio, ut plurimùm, restituebatur sanitas; angli scorbuto laborantes mutant cœlum, et indè valent; si quis quoque in exoticis regionibus languore nativo marcescat, aërem nativum spirare consulimus, non sine fructu.

Exercitii vices teneant frictiones siccæ pannis laneis aromatum fumo imbutis, ut meritò commendârunt *Boerhaavius*, *Dessault*, *Cadogan*, etc.

Molliora lecta sedulò vitare necessum est; ira podagræ obstetrix, angue vel cane pejor fugienda; damnandi tandem vel minimi errores in *sex rerum non naturalium* usu.

Ante hujusce paragraphi conclusionem, ne tamen prætermittamus diætam lacteam. Permultos certum est ab eâ insigne levamen percepisse, absque ullo alio alimento; alios verò deteriùs habuisse, viscerum obstructiones contraxisse : de quo concludendum est, quòd non sine prudentis medici consilio utrùm conveniat necne, talis diæta ineunda sit.

Juvenibus podagrâ recenter correptis, modò tunc temporis frequentiori utantur exercitio, summoperè lac conducit; quâ pollet virtute nutritivâ, demulcenti ac etiam tonicâ, non minùs sanè his utile est, quorùm debilitatæ digestiones, ac vires vitæ minutæ fuerint, morbo diuturno lacessente; nocet verò, ut plurimùm, podagricis, quorum huicce alimento adversatur ventriculus, aut affectione nervosâ hypocondriacâ laborantibus; ex eo enim cruditates, pravæ digestiones, flatus, dolores colici, infarctus abdominales, et alia graviora generantur incommoda.

Non videtur certè officio suo, ægrorumque expectationi æquè satisfacere medicus, qui unam tantùm muneris sui partem in diætâ rectè ordinatâ constitutam absolvit, dùm in pharmaciâ partem alteram negligit; non nego quidem sanari posse, quinimò reverà sanari ægros quibus nulla præscripta fuêre pharmaca; nemo autem facilè mihi persuaserit, æquè citò, tutò jucundèque curari eosdem, ac si medicamenta debita fuissent administrata; sæpiùs namque observare licuit, tales ægros solâ diætâ adjutos, diutiùs malè habuisse, non raròo recidivas periculosas passos esse, aut non nisi cum difficultate ac molestiâ è malis suis evasisse; cùm è contrà, ii quibus apta fuêre adhibita medicamenta, et brevi, et jucundè et tutò fuerint sanati.

Remedia verò in duas classes accuratè nobis distinguenda veniunt.

Ad primam classem remediorum ea pertinent, quorum actio præcipuè versatur in debellandis affectionibus morbidis, quæ statui arthritico contingere possunt, ac præsentiâ suâ producunt,

aut saltem fovent et morbum articularem incitant. Istæ autem affectiones ad tres reducentur : nimia videlicet sanguinis aut humorum copia, ex defectu perspirationis, aliarumve excretionum deducta : vitium quoddam peculiare quo contaminantur fluida : debilitatio tandem solidorum nervosa, præsertìmque organorum digestioni inservientium.

Pro variâ affectione, varia ergò administrantur remedia.

In primo casu, plethorâ vigente, venam secare juvat admodùm ; singulis annis, vere aut autumno, v. g., sanguinis missione iteratâ novos arthriticos insultus viderunt practici sufflaminatos.

Non minori prophylacticâ virtute gaudent scarificationes et hirudines, ut ex observatis patet à *Baver*, *Pringle* relatis ; hâc applicatione sibimet factâ, *Small* dolorem enascentem, quasi ab incunabulis è medio tollebat.

Arthriticum paroxismum præcavendi gratiâ, multoties profuêre fonticuli ad extrema admoti, proritato copioso humoris fluxu.

A crudo apparatu primas vias oppugnante si incitetur podagra, vomitionem curandæ utilem esse non semel comprobavit experientia, per quam uno vomitorio constat, non tantùm paroxismum arthriticum, verùm insuper novi ortum in longum tempus dilatum fuisse.

A purgantibus etiam pro re natâ adhibitis, podagræ reditum præverti posse observârunt *Grant*, *Cheyne*, etc.

Prout tandem casus postulârit, fausto cum successu, usurpari valent auxilia per sudores aut urinas cientia ; narrat *Forestus* quemdam arthriticum in lecto decumbentem, ut nul-

lum membrum posset movere, bibisse cerevisiam calidam, in quâ radix bardanæ cocta erat; quâ epotâ, cùm nullis remediis curari posset, plurima minxit alba instar lactis, et à doloribus omninò liberatus fuit.

In secundo casu, attentè perpendat medicus, quonam vitio peculiari inficiatur sanguis; etenim alteratio ista, cùm non ejusdem naturæ sit in variis podagricis, non eamdem medelæ rationem excipit.

Modò adest diathesis quasi scorbutica, cui curandæ maximè conducunt succi plantarum antiscorbuticarum, lac, decoctum præsertìm turionum pini. *(Clerc).* Modò lentore viscido peccant humores, quod potenter discutiunt ac resolvunt ex stibio, hydrargiro parata; flores arnicæ, decoctum dulcamaræ stipitum, saponacea, etc. Modò et etiam diathesis arthriticæ evolutio à redundantiâ aut depravatione humoris cujusdam specialis, atrabilis, v. g., pendere potest; cujus emendandæ causâ, valdè commendantur à *Quarino* succi taraxaci, cichorii, beccabungæ, succo aurantium permixti, aquæ minerales acidulæ, serum lactis, etc.

In tertio casu demùm, faustè adhibentur medicamenta quæ amaricante ac tonicâ virtute pollent, stomachicorum nomine designata, qualia sunt radices angelicæ, gentianæ, foliorum absynthii, centaurii minoris, chamedryos, quassiæ amaræ decoctum; in eumdem finem revocantur cortex peruvianus, martialia, aquæ chalybeatæ minerales, etc.; horumce tempestivâ admissione, corroboratur ventriculus, sanguinis massa vegetior fit ac magis firma, coctiones adjuvantur, sufflaminatur materies arthritica, mobilitatem pristinam recuperant artus, sanitasque tandem perfecta restituitur.

Hîc omittere non liceat, à pulvere ducis portlandiæ summum levamen percepisse ægrotantes ; haud equidem diffitemur, quòd ex sententiâ *Cadogan*, *Cullenii*, *Bucham*, etc., non multâ vituperatione expers sit ; sed nil nisi indè eliciendum, quòd hujusce pulveris et aliorum amaricantium usus, pro re natâ, ritè sit ordinandus.

Secunda remediorum classis ea scilicet amplectitur, quæ diathesim arthriticam emendant ac etiam omninò delent, et ideò quasi specifica nobis consideranda erunt ; non equidem quòd simili gradu virtute specificâ anti-podagricâ donentur, quâ hydrargirus in lue venereâ, cortexque peruvianus in febre intermittente debellandis, sed tantùm in eo sensu, quòd sæpè-sæpiùs arthritidem penitùs eradicârunt.

In hoc medicamentorum genere palmam præripiunt belladonæ, aconiti, cicutæ extracta ; non minùs principem sibi locum vindicant camphora, ether *Frobenii*, moscus, alkalia volatilia ; pluris quoque æstimantur saponacea tum alkalina, tum acida, quæ intùs vel extùs sumpta, ad discussionem humoris arthritici, imò tophorum et nodorum, summâ vi pollere videntur.

Ast verò notandum benè, quòd nunquàm aptiùs indicentur hæc remedia, nisi in arthritide chronicè prolatâ, de quâ ad opus aureum professoris *Barthez* referre liceat, in quo, egregiâ cum sagacitate, curationis methodum per analysim extricavit ; et omnes innumerasque oppositiones è scriptis et veterum, et recentiorum ortas, artem conciliandi demonstravit.

Huic tandem labori finem imponam, quædam de anomalâ arthritide proferendo. Morbis persæpè gravioribus obnoxii

fiunt arthritici, ob infelicem metastasim, seu retrocessionem podagræ ad corporis intima irruentis; cui locum præbent, sive topicorum applicatio imperita, sive errores diætæ, seu et etiam debilitas ipsa organorum nativa aut acquisita, etc.

Forsitan non nisi periculosa fit arthritis, ac in vitæ discrimen conjicit ægrotantem, cùm anomalis induatur symptomatibus, ut ex verbis istis à *Baglivio* prolatis concludere licet. . . . *non ob podagram, sed quia podagra ad articulos non defluit, moriuntur ægri.*

Quandò autem fiat arthritidis recessus in partem aliquam internam, morbum istius partis adeò exquisitè imitatur, ut de existentiâ ipsius minimè constaret, nisi arthritis regularis præcesserit.

Nova quæ hinc exoritur indicatio est, ut ab arthritide anomalâ, quàm citissimè, quàm tutissimè levetur æger; accuratè igitur perpenso morbi genio, partis correptæ ratione habitâ, debitâque medicatione institutâ, optimè felicissimèque perficitur, per materiæ in artus translationem; hoc enim est ipsum naturæ propositum.

Medicamenta scopum hunc adimplentia in venæ sectione præmissâ, si diatheseos phlogisticæ signa adsint, emeticis et purgantibus pro indicatione adhibitis, præsertìm synapismis, vesicantibus, aliis vulgò dictis attrahentibus pristinæ sedi podagræ admotis, cardiacorumque ope adjutis, etc., consistunt.

FINIS.